

Alte Drucke

Opera

ANGELI || POLITIANI || OPERVM || TOMVS PRIMVS. || Epistolarum libros XII. ac
Miscellaneorum || Centuriam I. complectens. || Indicem rerum memorabilium
calci || operis adiecimus. ||

Poliziano, Angelo

Antverpiae, 1565

Angeli Politiani Epistolarvm Liber Primvs.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-155013

ANGELI
POLITIANI EPI-
STOLARVM LIBER
PRIMVS.

ANGELVS POLITIANVS
Petro Medici suo. S. D.

EGISTI mecum saepenumero, magna-
nime Petre Medices, vt colligerẽ me-
as epistolas, & in volumen redactas
publicarem. Collegi, ne non in omnibus
obsequeretur tibi, quo sunt in vno spes
omnes, opesq; meae sitae. Neque collegi
tamen vniuersas: id enim laboriosius, quàm Sibyllae folia.
Non scripseram videlicet ad hoc, vt in vnum corpus re-
ferrentur, sed ad vsum praesentem duntaxat, oblati ar-
gumentis, non quaesitis. Ita nec exempla mihi retinui, nisi
quarundam, puto minus felicium, quae diu iam cum blata-
tis & tineis rixabantur. Veruntamen vt instar volumi-
nis efficerem, nonnullas etiam missas ad me, sed à doctis
duntaxat, inserui, quae marcentem quasi stomachum le-
ctoris excitarent. Est autem omnino stylus epistolarum
mearum ipse sibi dispar: quo nomine multum quoque scio re-
prehendar. Nam nec eadem mihi semper voluntas, nec idẽ
cuique, vel personae, vel materiae congruebat. Non deerunt
ergo qui dicant, vbi tam varias epistolas legerint (si qui
modò legerint) iterum me Miscellanea, non epistolas
composuisse. Sed inter diuersas opiniones & praecipien-

Epistola-
rū stylus.

Lucianus.
Phalaris.

tium de epistolis, & epistolas scribentium, speravi fore profectò necubi mihi patrocinium deesset. Occurret ali- quis forsàn, qui Ciceronianas esse neget: huic ego dicam (nec sine auctore tamē) in epistolari stylo silendū prorsus esse de Cicerone. Rursus alius hoc ipsum culpabit, quòd amuler Ciceronem: sed respondebo, nihil mihi esse magis in votis, quàm vt vel vmbra Ciceronis assequar. Optaret alius vt Oratorem Plinium saperem, quòd huius & maturitas, & disciplina laudatur: ego contrà totum illud aspernari me dicam Plinij seculum. Sed & si Pliniū cuiquā redolebo, tuebor ita me, quòd Sidonius Apollinaris, nō omnino pessimus auctor, palmam Plinio tribuit in epistolis. Symmachum si cui referre videbor, non pudebit, vt cuius & breuitas celebretur, & rotunditas. Abesse rursus à Symmacho si cui credar, negabo mihi siccitatem placere. Longiores quædam dicentur epistolæ: tales Plato scripsit, Aristoteles, Thucydides, Cicero. Dicentur aliæ contrà nimis breues: obijciam tunc ego Dionem, Brutum, Apollonium, Marcum, Philostratum, Alciphronem, Iulianum, Lybanium, Symmachum, sed & Lucianum, quem falsò Phalarim vulgò putant. Damna- bit alius me, quòd argumenta non sint hîc epistolaria: damnari me patiar, sed cum Seneca. Nolet aliquis in epistolis sententias: prouocabo rursus ad Senecam Pos- cet alius rursus sententias: huic ergo pro me Diony- sius resistet, ac pertinere sententias ad epistolam nega- bit. Stylus esse nimium dicetur apertus: hunc tamen lau- dat Philostratus. Dicetur obscurus: at est ad Atti- cum talis M. Tullij. Neglegens erit: at epistolis negle- gentia est ipsa pro cultu. Rursus erit idem diligens: con- uenit maxime, quoniā pro munere mittuntur epistolæ. Si cōcinnitas ibi sit, asseretur à Dionysio: si desit, ab Arte- mone.

mone. Tum quoniam Romani quoque sunt Atticis mi quidam, si non erit Attica, decebit hoc ipsum: nam quo alio damnatur Herodes, quam quod Atticus homo nimis Atticisset? Sin contra nimis Attica: Theophrastus hic proferetur, in hoc notatus ab anicula, licet homo non Atticus. Non erit festiua: me verò seueritas delectat. Non erit seuera: sed ego delicijs capior. Figuras habebit: hos ergo ipsos quasi gestus amat epistola sermoni proprior. Carebit figuris: at hoc ipsum carere figuris, figurat epistolam. Promet indolem scribentis: id quoque precipitur. Non promet: nō scilicet quæ fuit, ut quæ carere ambitione debet. Circulo claudetur: hoc & Græci faciunt. Aberit circulus: nec hoc Philostratus improbat. Soluta erit, & incompōsita: non displicet Aquilæ. Pedes habebit, & iuncturam: non displicet Quintiliano. Non aget: non est enim dialogus. Aget: est affinis dialogo. Communiter dicis, inquit alius, quæ communia: noue, quæ noua: cum stylo res igitur congruit. Immo autem communiter noua dicis, noue communia: nempe quoniam memor sum præcepti veteris, τὰ μὲν καὶ ἀ καὶ ὦς, τὰ δὲ καὶ ἀ καὶ ὦς. Ad hunc igitur modum posse vsquequaque spero tergiuersari. Sed tamen ipsi viderint. Tibi verò mi Petre suauissime, certò satisfaciā vel in epistolis, si bonæ fuerint, vel in obsequio, si non bonæ. Vale.

ANGELVS POLITIANVS

Petro Medici suo S. D.

Cum sæpe ex nobis audisses Florētiam, qua tu in urbe principem locum, sicuti diu maiores tui, meritò tenes, aliam prorsus habuisse originē, quam quæ ab historiæ nostræ scriptoribus prodatur: rogasti humanissime, quod semper soles, ut quidquid ea de re cōperti haberē, litteris mandarē. Fore enim aiebas, ut mihi ciuitas omnis

A 3

iure

Comunia
quidem
noue, noua
verò
cōmuni-
ter.

De ciuitatis Florentinæ originē

iure deberet, quòd parentes ei suos demonstrassem, præsertim qui tales extitissent, vt si sumendi ex quacunque historia fuissent, præstantiores omnino deligi non potuerint. Ego igitur mi Petre, cum vt ciuitati gratum faciam, quæ me benigne semper, humaneq; tractauit, tum vt tibi honesta postulanti, quo nihil mihi gratius in terris viuit, obtemperem: breuiter hac epistola cõplectar, quid in litterarum monumentis de vrbis huius auctoribus inuenerim, tum de nomine ipso pauca subnectã. Quoniamq; satis constat etiam Fesulanos in partem ciuitatis fuisse acceptos, vnde appellatas quoq; crediderim Fesulas, exponam. Deduxere igitur Florentiam Coloniam Triumviri, Caius Cæsar, qui deinde Augustus, Marcus Antonius, & Marcus Lepidus, etiam Pontifex Maximus. Coloni autem deducti Cæsariani milites, quibus assignata ducenta iugera per cardines, & decumanos. Quod ego apud Iulium Frontinũ reperiõ celeberrimum scriptorẽ, qui Neruæ ætate floruit, in libro de Agrorum mensuris, quẽ tu librum domi habes Petre Medices vetustissimum. Ita, quod nulli vnquam cõtigit, à tribus Imperatoribus, quorũ vnus omnium summus, alter etiã Pontifex Maximus, orta est Florentia. Ciues autem primi Florentini viri illi fuerunt, quorum virtuti nulla nec arma, nec munimẽta, nec robora restiterũt. Explorata origine, causam quoq; nominis indagemus. Triplex Romæ vrbis fuisse nomen proditur: vnũ hoc, quod diximus, perauulgatum: alterum, quod arcanum fuit, vnde Amaryllida suam, quæ amorem propriẽ significat, in Bucolicon carmen poëta detorsit: tertium sacrificijs debitum, de quo Anthusa. vocabulum Floralibus impositũ, quod Anthusam Græcè Philadelphus interpretatur, homo doctus, à quo hæc accepimus. Hoc tu Latine vel Florentem vertas, vel aptius

Iulius
Frõtinus.

Romæ
triplex.
nomen.

Anthusa.

aptius Floram fortasse, aut Florētiam Scimus autem populi Romani Colonias quasi effigies paruas eius, & simulacra fuisse. Constat etiam Florentiam conditam ad Romæ imaginem, quod (vt alia præteream) nomen quoq; adhuc Capitolij, & regionum quarundam testificatur. Idem autem fuisse Anthusæ vocabulum Constātini vrbi positum, quæ noua Roma diceretur, tam Philadelphus idem, quàm etiam doctissimus Eustathius tradiderūt. Inde igitur productum nomen, vnde vrbs quoq; ipsa producta. Nam apud Plinium vel corrupta voce Fluentinos legi, pro Florentinis: vel ita olim veteres populos, qui profluentis Arni ripas incoletet, appellatos crediderim; qui tamē deinde in Florentinos condita vrbe, deductaq; Colonia cōmigrauerint, vt edictum quoq; Desiderij Longobardorū Regis Fluentinos appellantis, ad vtrāuis redigi causam faciliē possit. Ptolemæus certē (vt quidam vetusti fatentur codices) Florentiam dixit. Idemq; libro Historiæ naturalis quarto decimo Plinius, quāquam vulgatis codicibus mendosissimus omnino sit locus. Meminit & Paulinus Ambrosij discipulus Florentiæ, qui nostro etiam Præsuli Zenobio locupletissimum sanctitatis testimonium perhibet. Indicat & Procopius quā etiam tum valida hæc vrbs, & præpotens fuerit, quæ tentata sæpius à Gotthis, expugnari non potuit. Vnum antiquitatis in ea vestigium pulcerrimum extat adhuc, templum hoc mirifica structura olim Martis, nunc Præcur-
 foris titulum gerens. Etenim Martem Romani originis auctorem, Martē Cesariani potissimum colebāt milites, orbis terrarū victores, Martem præcipuus vestræ vrbis conditor Augustus, vt cui Romæ quoq; medio foro cognomēto Vltori posuit templum. Quò minus mirandum Florentinam inuentutem, quamuis patrio more abstineat

Fluētini.

Zenobius
Præsul
Florētiaz:

Mars.

Fesulæ à
quo con-
dita.

Zezes.

armis, ludicris tamen adhuc certaminibus, etiam inter
milites exercitatisimos, excellere. Nam de te, Petre, ni-
hil hoc loco mihi dicendum, qui tot palmas nuper paucis
diebus toties victor abstuleris: ne forte nostra hac epi-
stola tui laudandi captasse occasionem cuiquam videar.
Fesulæ restant, quas ab Atlante illo cœlifero conditas,
et vetus fama fert, et homo, ut illis temporibus doctissi-
mus Ioannes Boccatus confirmat: quæ ne diutius tamē
vacillet auctoritas, Hesiodum citare possum vetustissi-
mum Poëtam, qui Fesulam fuisse unam, sed et primam
Nympharum declarat, à quibus Hyadum, seu Latine Su-
cularum sydus exprimitur, quarum scilicet positum lu-
na representat, quod adhuc insigne Fesulanis est: nisi
potius ob id lunam gestant, quod ultima erraticarū ver-
ticem ipsum Atlantis cœlum fulcientis potissimum pre-
mit. Sed audi iam versus Hesiodios, quos ex libro ipsius,
cui titulus Astræa, partim grauis auctor Theon, partim
Zezes ille Grammaticus repetit in epistolarum suarum
commentarijs, incomparabilis memoriæ vir atque infini-
tæ penè lectionis.

Νύμφαι χαρίτεσι ὁμοῖαι
Φαισούλη, ἥ δὲ Κορωνίς, εὐσεφάνος τε κλέια,
Φαιῶ δ' ἰμερόεσσα καὶ Εὐδώρα τανύπεπλος.
Νύμφαι, ἃς ὑάδας καλεῖσι φύλ' ἀνδρώπων.

Nymphae Gratijs similes,
Fesula, et Coronis bene coronataq; Cleia,
Phæoq; suavis, et Endore habens longum peplum.
Nymphae quas Hyadas vocant genera hominum.

Vides ut Fesulam nominat Hesiodus inter Hyadas po-
tissimam, quod apud Eustathium quoq; reperias, quāvis
in eo mendosis codicibus Aesula sit. Sed et Ammonius
Grammaticus Fesulæ meminit, ut vnius ē Bacchi nutri-
cibus.

aibus. Hyadas autem fuisse Atlatis filias, & easdem Bacchi nutrices, nullus credo paulò humanior ignorat. In ea verò ciuitate subninum claros interpretes vetere Hetrusca disciplina fuisse, docet ita Silius: Affuit & sacris interpres fulminis alis Fesula. Cui quoniam semper ego nescio quo pacto plus ceteris faui, tacere illud non possum, totius etiam Italiae salutem referri acceptam Fesulanis oportere, videlicet in quorū iugo Radagastius olim Gothorum rex immanissimus, cum ducentis hominū milibus orbem terrarum vastantibus diuinitus conclusus, exceptus, trucidatusq; fuerit. Hec sunt, mi Petre, quæ de Florentia, & Fesulis intacta nostris annalibus, apud reconditos quidem, sed idoneos tamen auctores inuenimus: quæ, nisi fallor, ciuibz nostris, tibiq; gratissima esse debent. Ego certè nihil hoc maius homo studijs deditus litterarum præstare vobis potui, qui me in ciuitatem asciueritis, quàm vt labore, industriaq; mea parètes aliquando vestros, tam multis adhuc seculis ignoratos, cecebrebs, illustresq; viros agnosceretis. Vale.

Radagastius Gothorum rex.

ROMA

IOANNES PICVS MIRANDVLA

Angelo Politiano S. D.

CVM Musas tenues meas, quibus dum per ætatem li-
guit de amoribus meis iocatus sum, in libellos quinque
digesserim, mitto ad te illorum primū, missurus & alios,
si in hoc vno amicum experiar te, non assentatorem: ea
enim lege ad te veniunt, vt castigentur, vt vapulent, vt
errorum pœnas & vngue & obeliscis luant. Adhibe
igitur te illis æquum iudicem, nō iniquum, hoc est, seuerum,
non indulgentem. Nam quæ maior iniquitas, quàm
amicum fallere de te sibi omnia promittentem? Non eò
vsque ingenio delicato sum, vt amici hominis lituras fa-

Musei Pici
Mirandula.

A 5

stidiam.

stidiam. Quin fortè nec tu, nec quissiam crederet, quàm hæc me a mihi non satisfaciant, quàm in his etiam, quæ magis placent, metuum tamen ne sim, ut inquit ille, Suseenus. Quare operam tuam quaeso in re honesta, & liberali, amicissimo homini ne deneges. Vale.

ANGELVS POLITIANVS

Ioanni Pico Mirand. S. D.

Amor.

Momus.

O Iupiter
plue calamitates.

NAE tu homo es lepidus, qui me cum tuis amoribus committere tentes, quiq; adeo seuerè, & tetricè à me homine haud sanè rugosæ frontis, tam bellos accipi pueros postules. Vnus (aiunt) Amor Pana Deum palastra prouocatam supplantauit. Tu me concertare cum toto Veneris grege, qui putas posse? sed tamen hoc tu exis: tu inquam Pice, cui denegari quidquam sit planè nefas. Quare aliquot exorauì ex ijs, ut se à nobis exari paulum paterentur. Neque ego iudicis (ita me semper ames) sed Momi personam indui, quem ferunt sanadaliu Veneris tandem culpasse, cum Venerem non posset. Confodi igitur versiculos aliquos, non quòd eos improbarem, sed quòd tanquam equestris ordinis, cedere reliquis, veluti senatoribus videbantur, atque patricijs. Plebeium nihil offendi, sed & in his non tam iudicium tibi, quàm voluntatem defuisse certò scio, quando & Nasoni tuo decentior (ut aiunt) facies videbatur, in qua neuus esset. Remitto ad te eos, atque addo Stoicum comitem, quem utinam talione tantum referiant ipsi, ac non planè habeant ludibrio. Vt cunque erit, habet Senecio hic superciliosus ubi patientiam suam exerceat. Non erit iam quod clamet, ὡς Ἰὺ Βριξορ τὰς τριγύδας. Non Bithius & Bacchius melius compositi. Reliqui, quos petis, negant ferre lucem. Tu me ama, id quod mutuo facies. Vale.

IOAN.

NEC vrbanius vnquam, nec hilarius acceptos se
 amores mei prædicant, quàm his proximis diebus apud
 te, & quòd amicè quidem confossi sunt, cum sibi gratu-
 lantur maxime, tum tibi plurimum debet. Quis enim no-
 lit ab isto ense mori? Dolent tamen indulgentius id fa-
 ctum esse, quàm oportebat: atque in eo sunt, vt dubitent
 amore ipso in amores te cæcutientem factum meos, ac
 ita demùm dubitant, vt iudicio tuo, alioqui grauissimo, in
 sua causâ nō satis confidant. Cōfidunt tamē, & iam sese
 vinculis asserunt, domi esse nesciūt, libertatē, & publi-
 cum securē postulant. Sed quid de Episteti tui festiui-
 tate dicam? O rem iocosam, & risu dignam Catoniano! Rifus
 vix erat in limine, cum pandens sinus, en, inquit, obe- Catonianus.
los en sagittas, si nescitis Græcè. En me, si ex vestris
 quisquam audax fuerit, paratum referire. Quis cachin-
 nis temperasset, cum Stoicus homo tam lepidè iocare-
 tur? Abstinuimus profectò telis, & quòd intermina-
 tus erat repositurum sese iniuriam, & quòd ita cutis
 occalluerat, vt tam leues ictus non admitteret. Qua
 igitur veneratione debuimus, senem excepimus: qui
 vt demum apud nos consedit, philosophari cœpit de
 moribus, & id quidem Latine, non tam ob id, quòd
 apud Latinos erat, nam & erant in eo confessu, qui
 Græca nouerant, quàm quòd Latine ipse beneficio tuo
 luculentius saperet. Sed nec operam perdidit, quando-
 quidem non prius loqui desijt, quàm nos ex peripateti-
 cis Stoicos fecerit, & apathia illā omnes approbaueri- Apathia.
 mus: vt iā videre sit paulò antè delicatos homines, iā fa-
 ctos omnium tolerantissimos: qui laceßiri quidē possumus
 ab alijs, ledi à nobis tantū: qui fato reluctemur nunquā.

Sustine,
& absti-
ne.

Et quæ nostra non sunt, sic fieri demum velim, ut dii vo-
lunt, et eos nec culpemus inquam, nec accusemus: nihil
doleamus, nihil expostulemus: seruire, vinci nesciamus:
re, non oratione philosophemur: et qui nouitij sumus,
nos ipsos ut aduersarios obseruemus: aliorum de nobis
opinionem, atque id genus alia, quæ externa sunt, negli-
gamus potius, quàm reiiciamus: ad diem curemus, ut ho-
spitium viatores: habeamus ea denique, non habeamur:
silentium amemus, ne quidquam euomatur non conco-
ctum: et nobis alij raro, et nos alijs nunquam risum pa-
riamus: et ut vno Epictetum totum verbo complectar,
et sustinere aduersa, et abstinere voluptatibus abunde
didicerimus. Vide quàm sigillatim ad Epictetum tuum
effinxerimus vitam nostram: vide quàm et citò, ne hac
quoque parte Stoici nō essemus, qui nos admonitos vo-
lunt, tandiū deficere hominem, quandiū non proficit. Id
quod quanquàm in ceteris admiratus sum, in me tamen
vno vel maxime, qui cum semper in Lycio, vel Acade-
mia, nūquàm in porticu sim versatus, ita victus sum ora-
tione senis, ut in eius sententiam non pedibus modò, sed
manibus quoque, et toto corpore discefferim. Vale.

ANGELVS POLITIANVS IOAN.

Pico Mirand. S. D.

TANTI mihi sunt litteræ tuæ mi Pice, ut nullo pā-
cto credam posse me illis rescribendo satisfacere. Tanta
rursus tua est humanitas, ut te boni consulturum quid-
quid à nobis proficiscatur, existimē. Si verba suppete-
rent animo, laudare pro merito ingenii, litteras, eloquē-
tiam tuam conarer. Sed vereor ne laudes cogar tantus,
ut Flaccus inquit, culpa deterere ingenij. Quare imita-
bor Timantem, quodq; exprimere penicillo nō possum,
velo

velo contegam. Quod si mihi hortandus est, qui ipse omnibus exemplo sit, ita ego meum Picum, ut ille Mycenæus Teuctrum hortabor $\beta\acute{\alpha}\lambda\lambda' \omicron\upsilon\tau\omega\varsigma$. Tibi autem debere me multis nominibus intellego, quæ singula enumerare non est consilium, sed accessit meritis erga me tuis Ma-
 nuelis nostri viri docti elegans epistola, Hymettio illo, unde scilicet eam legit, melle, atq; omni ne ctare dulcior. Eum nos planè Glauculum reddidimus, $\chi\acute{\alpha}\lambda\lambda\iota\alpha \chi\rho\upsilon\sigma\epsilon\iota\omega\mu$ commutantes. Quis enim nescit quàm illi $\epsilon\pi\iota\chi\omega\rho\iota\omicron\iota \tau\omicron\iota\varsigma$ $\epsilon\lambda\lambda\eta\sigma\iota\mu \alpha\pi\iota\kappa\iota\sigma\mu\omicron\iota$ denegarent citra mare? Sed tamen hoc ipso minus eius obelos metuimus, quod in Latio nati sumus. Sicut Latina cùm scribimus perperam, hoc nos tue-
 mur, quod Gracissare putamur: atque ut vespertiliones, dum neque mures planè, neque aues sumus, utriusq; ta-
 men nos probare tentamus. Vale.

Aerea au-
 reis.

Verna-
 culi Græ-
 cis atti-
 cismi.

ANGELVS POLIT. IOAN.
 Pico Mirand. suo s. D.

AUDIO te versiculos amatorios, quos olim scripse-
 ras, combussisse: veritum fortasse, ne vel tuo iam nomini,
 vel aliorum moribus officerent. Nō enim puto, quoniam
 minus exierint aptè sicuti Plato suos dicitur. Nā quantū
 repeto memoria, nihil illis ter si⁹, dulcius, ornati⁹s. Quos
 quia vocabas amores tuos, placuit mihi nuper, velut in
 amores ipsos abs te crematos, ita ludere Græcis versib⁹:

$\Pi\omicron\lambda\lambda\alpha\kappa\iota \tau\omicron\varsigma \epsilon\upsilon\delta\epsilon\iota\varsigma, \phi\lambda\epsilon\chi\theta\epsilon\iota\varsigma \theta' \upsilon\pi\omicron \Pi\iota\kappa\omicron\varsigma \epsilon\rho\omega\tau\omega\mu$
 $\omicron\upsilon\kappa \epsilon\tau\lambda\eta \pi\rho\omicron\tau\epsilon\rho\omega, \tau\acute{\alpha}\nu\tau\alpha \delta' \acute{\alpha}\phi\epsilon\iota\lambda\epsilon\upsilon\theta' \omicron\pi\lambda\alpha,$
 $\tau\omicron\varsigma \xi\alpha, \beta\epsilon\iota\lambda\eta, \phi\alpha\rho\iota\tau\rho\alpha\varsigma, \kappa\alpha\iota \gamma\eta\eta\sigma\alpha\varsigma \tau\acute{\alpha} \gamma\epsilon \pi\acute{\alpha}\nu\tau\alpha,$
 $\eta\tau\epsilon\mu \omicron\mu\epsilon \sigma\omega\rho\omicron\mu \lambda\alpha\mu\pi\acute{\alpha}\sigma\iota \lambda\eta\iota\delta\iota\omicron\iota\varsigma.$
 $\Sigma\upsilon\mu \delta' \acute{\alpha}\nu\tau\epsilon\varsigma \mu\acute{\alpha}\rho\tau\alpha\varsigma, \acute{\alpha}\mu\eta\eta\kappa\eta\acute{\alpha} \chi\epsilon\rho\upsilon\delta\epsilon\iota\alpha \delta\iota\omicron\varsigma \mu$
 $\tau\alpha\iota\varsigma \nu\epsilon\upsilon\rho\alpha\iota\varsigma, \mu\acute{\iota}\alpha\mu \delta' \epsilon\mu\beta\alpha\lambda\epsilon \pi\upsilon\rho\kappa\alpha\iota\eta,$
 $\kappa\alpha\iota \tau\omega\varsigma \phi\lambda\acute{\iota}\xi\epsilon \tau\omicron \tau\omega\varsigma. \tau\acute{\iota} \delta' \acute{\omega} \acute{\alpha}\phi\rho\omicron\upsilon\epsilon\iota\varsigma \acute{\alpha}\nu\tau\omicron\mu \epsilon\rho\omega\tau\epsilon\varsigma$
 $\tau\omicron\mu \Pi\iota\kappa\omicron\rho, \mu\epsilon\sigma\sigma\omega\mu \epsilon\iota\varsigma \epsilon\iota\varsigma \epsilon\iota\pi\omicron\tau\acute{\alpha}\sigma\theta\epsilon \tau\rho\omicron\mu\omicron\varsigma$

Sape

Sæpe sagittatus, incensusq; Picus ab amoribus,
 Non tolerauit ultra, omnia verò abstulit arma.
 Arcus, sagittas, pharetras, & congregans hæc sanè omnia,
 Accendit simul aceruum flammis edacibus,
 Ipsos verò corripiens debiles manulas ligauit
 Funiculis, in medium verò iniecit ignem:
 Et igne combussit ignem. Quid verò ò insipientes ipsam amores
 Ad Picum musarum volastis principem?

IOANNES PICVS MIRANDVLA

Angelo Politiano S. D.

QVOD proximis litteris tuis me tantopere laudaris, debeo tibi tantum, quantum ab eo absun, vt merito lauder. Id enim debetur cuiq; quod gratis dat, non quod persoluit. Quare & ipse id totum tibi debeo, quod de me scribis, cum in me tale sit nihil: cum id mihi ipse nullo pacto deberes, id totum tuæ fuit humanitatis, & singularis in me beniuolentiæ. De cetero si me examinaris, nihil inuenies nisi tenue, humile, angustum. Nouitij sumus, atque tyrunculi, qui ex inscitiae tenebris pedem modò mouimus, promouimus ferè nihil. Benigne nobiscum agitur, si inter studiosorum ordines referamur. Habet docti nomen quiddam aliud, quod sit tibi, & tui similibus peculiare: mihi tam grandia non conueniunt, cum eorum, quæ in litterarum studiis sint præcipua, nihil non solum exploratum habeam, sed nec adhuc etiam nisi per transfennam viderim. Conabor quidem, id quod nunc ago, talis esse aliquando, qualem nunc me prædicas, & esse aut iudicas, aut certè velles. Interea imitabor te Angele, qui te Græcis excusas, quòd sis Latinus: Latinis, quòd Græcisses. Simili & ego vtar perfugio, vt poëtis, rhetoribusq; me approbem, propterea quòd philosophari dicar. philosophis, quòd rhetorissim, & musas colam. Quanquàm mihi longè aliter acci-

accidit, atque tibi. Quippe ego dum geminis sellis (vt aiunt) sedere volo, vtraque excludor, sitq; demū (vt dicam paucis) vt nec poëta, nec rhetor sim, neque philosophus. Tu ita vtrunque imples, vt vtrum magis, haud satis cōstet, qui & Græcam, & nostram Mincruam ita pulchrè amplectaris, quasi Cinnus vtriusque linguæ, vt quæ insititia sit, quæ genuina non facile discerni possit. Nam vt de Latinis taceam (de his enim cui è primo loco cesseris?) quis credat, vt de Hadriano ille, Romanum hominem tam Græcè loqui? iurabat Emanuel noster, dum tuas legeret, non esse tam Atticas Athenas ipsas. Is es mi Angele (faceßat adulatio) cui ex nostris vnus, aut alter, ne dicam nemo, conferendus sit. Quòd si plures essent tales, non haberent hæc secula cur inuiderent antiquitati. Incumbe quæso, & litteras quantum potes, à situ recipe, ne nitor ille Romanæ linguæ iniuria temporum penitus obsoleseat. Excude semper aliquid nouum quod rem Latinam adiuuet, & illustret. Et quæ domi habes, fac tãdem exeant in communem studiosorum vtilitatem.

Vale.

HERMOLAVS BARBARVS

Angelo Politiano suo. s. d.

POST discessum tuū Venetijs ad te scripsi nunquam, de te sepe: nec scripsi modò sepe, sed etiã loquutus sum ac te quoties incidebat, incidebat autē cūm volebā, volebā semper. Omnino mihi multus in ore Politianus est, eritq; dū vixero. Nam quantū ipse de te conceperim, cū primū te cognoui, quantū porro de doctrina tua litteræ sibi sperēt & spōdeant, facilius cogitare possum animo, quàm dicere. Postulo autē à te quasi meo iure duo. Primum, vt iuere diu studeas, nō tibi sed & tibi sanè, dū literis primū, & bonis artibus, quibus hercule succurēdū est

est ruinosus, & nutantibus, breuiq; casuris, nisi per solertissimos homines ope summa prospiciatur. Alterum uti aut tu me sociū in hæc adhibeas, aut à me adhibitus æquo animo patiare. Sin grauaris, in famulatu ero tibi cum iusseris. Vltro nomen do, profiteor inuocatus, & maxime voluntarius. Ardeo cupiditate iuuādirecta studia. Nullus est tam magnus labor, nullum munus in litteris tam sordidum, quod defugiam: quanquā omnis ferè functio, quæ pertinet ad litteras, non potest esse non honesta, non splendida, non magnifica. Vale.

ANGELVS POLITIANVS

Hermolao Barbaro suo s. d.

TV verò Hermolaë ita mihi omnia, vel præsentiprius vel deinde absenti præstitisti, ut (si officia duntaxat, non autem animum, atque voluntatem remetiamur) ingratus proculdubio sim moriturus. Et quidem ea causa est, cur tibi nec agam gratias, nec egerim hætenus, quod intellego non orationem modò nostram, sed planè facultatem omnem imparem esse tuis erga me meritis. Nam quod mihi tua epistola tantum tribuis, quantum ego nec agnosco, nec fateor, vel ob id certè mihi gratū est, quod amicus, quā verius sentiens, magis fortasse nos diligis. Verba porrò quibus velut me militem bonus imperator hortaris, ut rectis studijs utroque quasi cornu laborantibus succurrā, eò minus mouerunt, quod sanè quā paucos tui similes video, quos duces sequar. Ut enim non dubitat Agamemnon, quin sit breui Troiam capturus, si decem dentur συμφοράδες Nestoris similes: ita si Hermolai mihi dentur decem, sub quibus mercam, facile sperem litteras cum Græcas, tum Latinas, è barbaria media receptū iri. Te tamen & laudo, & admiror, qui adeo

accisis rebus, atque afflictis spem tibi aliquā feceris adhuc reliquam. Quapropter mihi etiam, vel ob id audentem, extrema cupido est certa sequi. Vale.

ANGELVS POLITIANVS

Hermolao Barbaro suo. s. d.

QVOD ad te iamdiu nihil Hermolaë dederim literarum, non tam meis velim, quàm tuis occupationibus adscribas. Occupationes autem non minus equidem studia ipsa literarum, & sapientiæ, quibus vsquequaque inuigilas, quàm istos accipio discursus obeundæ legationis, & rei gerendæ publicæ. Quid igitur vel ineptius, vel inhumanius, quàm aut Musarum sacris operanti obstrepere, aut agentem seriam trichas veluti intempestiuas obijcere? Neque verò caussa fuit cur timuerim, ne (quod est apud Aristotelem tuum) nostram quoque amicitiam silentiū dirimeret. Non enim sic in amore mutuo languemus, vt simus inter nos machinis retinendi. Sed nec silentium quispiam interpretetur, vbi neuter cessat honorificè de altero & loqui, & scribere. Caue enim putes Hermolaë, non diem dixerim, sed horam penè vllā præterire, in qua non ego de ingenio, de literis, de prudentia, de consilio, de humanitate, de candore, de studijs deniq; tuis propè declamitem. Testis Medices Laurentius meus, testis hic item Mirandula Picus, heroës (arbitror) duo, non viri, quos aut auditores habeo laudum tuarū attentissimos, aut beneuolētissimos prædicatores. Iam apud eruditam iuuentutem, & familiariū cohortē, tantū de te loquēdo profecimus, vt vnus utiq; habere, non solum doctissimus, sed & humanissimus, & prudētissimus. Porro autem vt epistolas, vt orationes emiserm, in quæ de te semper à nobis illustris mentio facta, vel hæc ipsa, quæ mox edētur, Miscellanea nostra, cū quidā

(vt Horatius inquit) dignus vindice nodus incidisset, te scilicet vnâ cum Laurentio, Picôque iudicem sibi contra rudem inscitiam nuncupauerunt. Neque verò tu quoque otiosus, aut occasionibus imparatus in me semper etiâ, ultra fortasse quam patior ornando, extollendôque, sic vt temet pulcerrime, ab hoc epistolarum silêtio, crebris de me sermonibus redemeris. Non igitur amicitiam nostram blandimentis istis & assentationibus indecoris, et ineptis, atque optimo cuique maximè suspectis, addo etiam vulgaribus, fouemus. Non tamen vlllo loco, vel studio desumus alter alteri vel officio. Speciosa ista, & populari beneuolentiæ ostentamenta, quasiq; fucum, & præstigias, neque tu arbitror desideras, & ego abominor. Vino, aiunt, vendibili suspensa edera nil opus. Et nos ergo faciem, strepitumque omnè (sic doctos decet) aspernemur, atque amicitia (quod dicitur) personam detrahamus. Ceterum vt eò tandem deueniam, qua gratia tibi hanc epistolam scribere instituerâ, cum Franciscus Gaddius Florentinus, qui paulò antè legatus ishic agebat, vir vtrique nostrum coniunctissimus, fortè (vt fit) in sermone apud Laurentium Medicem nuper iniecisset desiderare te volumen, si quòd hîc emendatû Dioscoridis haberemus statim nobis Laurentius (vt est homo tui studiosissimus) pro more auctoritatèque mandauit, vt eâ rem quam primum quam diligentissimè curaremus. En tibi igitur librum mi Barbarè, satis emendatum (ni fallor) certè veterem. Tu cum fueris vsus, ad me remittes, non tam (quæ tua est diligentia) incolumem, quam doctissima ista notatum manu, quò pretium volumini aliquod ex te, atque auctoritas accedat. Vale.

Adagiũ.

Frâciscus
Gaddius.

HERMOLAVS BARBARVS

Angelo Politiano suo s. d.

si

SI surdis etiam, brutisque rebus amicitia & inimicitia suæ non aliunde quàm à cælo constant, quo & affectus cæcos, & quæ Græci ἀναιτιολόγητα vocant, refectus accepta, quid ni sentiat hanc vim & homo? quàm interest, quòd stolidi illa, & muta semper inter se pro natura quæque sua disident, aut concordat vnius cæli merito, sed hominem homini plerunque mores, & iudicia conciliant, nec minore glutino, quàm isthæc siderum defluvia ferruminant, huiusq; generis est amor, qui nos inuicem innexuit, & Herculeo nodo iunxit. Nichil mirum si nec spatio temporis excutitur, nec locorum intercapedine conuellitur, nec officiorum silentio poluitur, nec alia quauis negligentia rubigine decoloratur. Certa opinione virtutis, & doctrinae tuæ natus, eadem opinione conseruatur, alitur, augetur: te volente, nolenteq; perennat. Tandiu hercule futurus, nō dico me quādiu ames, sed quādiu amare cogas, & iste ingenij, et eruditionis tuæ fulgor obuersetur oculis. Tunc amare potero desinere, cum tu rem Latinam deserere. Sed de hoc satis. Dioscoridem accepi, gratias & tibi, & Gaddio nostro tam multas ago, vt quas Laurentio meo agam homini clarissimo, humanissimo, doctissimo non habeam, habeā quas non ago: atque vt imā quandoque possum referre. Multis nos magnus ille vir indies & studijs accumulatur, & officijs adobruit. Ego cōtrā diu, noctuq; retracto, ac recogito, non quemadmodū rationem cum eo parem faciam (quis enim posset hoc, nisi alter Hercules, aut certē alter Laurentius?) sed quemadmodum plane intelligat, me apud eum eo loco esse cupere, quo quæ magnitudinem æris alieni & professione nominis, & magnæ fidei compensatione redimunt. Vale.

Hermo-
laus Bar-
barus pa-
triarcha
Aquilien-
sis.

EXPLICARE non possem literis Hermolaë, quāta mihi letitia prandēti nuper secum Laurentius Medices te Patriarcham factum esse Aquileiensem nuntiauerit. Ego verò tantò sum ex ea re gaudio, tantaq; voluptate perfusus, ut in ipso quoque discubitu (quid enim mani- festanogem?) gestierim, exilierim, letum, felicemq; nuntium, vix ipse me capiens, proclamauerim. Et nunc gratulor tibi, gratulor doctis omnib⁹, gratulor sæculo Hermolaë: Tibi, quòd hoc etiam tuarum virtutum præmium dixerim, an testimonium, publicè acceperis. Nam quamvis antea quoque multis, magnificisq; fueris ornamenti affectus, tamē hoc vnum procul excellit, atq; eminet, nō modò quia maius, aut quia genere diuersum, sed quòd per eum quasi gradum breui putaris altius ascensurus. Doctis verò, quòd is vir ad maximas proucheris dignitates, cui semper hoc hominum genus, atque hæc secta vitæ plurimū placuit. Etenim summo loco natus, amplis opibus innutritus, egregijs honoribus perfunctus, & fastigium disciplinarum propè omnium tenes, & professor, ac studiosos artium bonarum (quāuis humili fortuna plerique sumus) ita complecteris, & amas, ut æquē cunctis tuæ quasi maiestatis fasces, ac vexilla submittas. Sæculo autem, quòd insigne aliquod habet, quo iā stare audacter aduersus & vetustatē possit, & posteritatē: scilicet quia veluti recuperasse nunc oculos ceca prius fortuna videri potest, dum cumulare honoribus eū gestit, in quo virtutum penè omnium quasi quidam concentus exauditur. Tu igitur etsi virtute ipsa clarior es, atq; (ut puto) letior, quam virtutis præmio, debes tamē hæc & temporibus, & literis diligentiam, ne fortune desis,

neis

neu vota nostra destituas, sed incumbas, instēsque fauori quantum potes, non quidem ambitu infami, qui philosophum dedecet, sed his potius artibus, quæ te carum bonis, admirabilem propè vniuersis reddiderunt. Equidem, quod ad me attinet, quando aliter suffragari non licet, illud vsquequaque præstabo, nequam occasiōem vel tui celebrandi nominis, vel conciliandæ tibi, colligendæq; beneuolentiæ prætermittam. Vale.

HERMOLAUS BARBARVS

Angelo Politiano suo s. d.

QVOD ex secundis rebus meis letitiam incredibile conceperis, neque nouam rem fecisti, nec mihi nō præuisam, imaginationēque præsumtam. Noui quanta propensione, atq; adeo inductione animi prouinciam duram, & inexplicabilem susceperis ornandi, & tollendi nominis mei quàm constans, pertinax, & addictus in eo fueris: quàm: rem tuam videaris agere, cum meam agis. Itaque nihil sum miratus, quòd rationibus tuis consultum putaueris, cum meis est prouisum. Habeo tibi, & semper habeo gratias, non solum vt amico, & beneuolo, sed vt Politiano, id est, vt homini doctissimo. Plus enim est à Politiano, quàm ab amico laudari. Testimonium, & iudicium amici fallitur, Politiani etiam amantis non fallitur. Laurentio nō minus principi tuo, quàm meo in dies plura, & maiora debeo. Testis est ipse. In magno versor periculo, ne in tanto meritorum eius erga me cumulo, et ingratus, & barbarus esse videar. Vale.

POMPONIVS LAETVS

Angelo Politiano suo s. d.

SERIVS q̃ opinabaris ab amicissimo fieri, distuli ad te mittere, quod summopere legere optabas. Causa fuit

B 3

nescio

nescio quis, qui se intra paucos dies daturū Quinctilem
 & Sextilem mihi pollicitus est: remq; is lōgius opinio-
 ne mea traxit. Ipse tandem vt creditori, qui vel præcia-
 puus es satisfacere, quæ apud me erant, diligentissimè
 exscripsi. A Venusia Apulorū adlata sunt marmorea in-
 tabula: obscuro loco ibi latebant fragmenta aliarum ta-
 bularum, vbi annus integer erat coniungi nequiu-
 erunt, quod multa deerant, illinc translata Arianum: summa cu-
 ra, quæ superest tabula, seruatur. Mitto & quædā mo-
 nimenta rerum eodē in loco reperta, & placitura tibi
 (vt existimo) amatori vetustatis. Romæ ferè idem: sed
 multò antè, verum sine caret: si habere cupis rescribe:
 quanquàm quid hoc dixerim? cū facile intelligā te plu-
 rimum id querere: sed videbatur optabilius, si poposce-
 ris. Scias omnia, quæ apud me sunt, tua esse. Duo à te sum-
 petiturus, alterum studio, alterum auctoritate cōficiēs.
 Illud est apud Valerium Flaccum in quinto libro, cū lo-
 quitur de Chalybibus populis, apud quos ferrum reper-
 tum est: quid sibi velit, indigena. Quod sequitur corru-
 ptū est: & statim duo carmina, quæ sequuntur, fabulam
 habent mihi incognitam. Fortè Apollonius aliquid de
 ea rescribit. Tuum limatissimū iudiciū expecto, quod,
 mea sententia, quicumq; profitemur litteras, veneremur
 necesse est. Sed de ingenio scio quid scriptur⁹ sum. Illud
 alterum erat, vt vnicis litterarum fautoribus Laurētio,
 ac filio me commendes. Ab Laurentio tua opera obse-
 cro, impetres litteras non vulgares, siue ad Ioannē Tor-
 nabonum, siue ad oratorem Florentinorum, in commen-
 dationem Fabritij contubernalis mei, qui, vt prædicat,
 notissimus est Laurentio, aliasq; Florentiæ negotia Re-
 guli Faurentini egit. In præsentia cū sit expediturus
 quædā honestissima in Curia Romana, auctoritatē Lau-
 rentij

ventij (quæ plurima est) vehemēter accedere cupit. Effi-
ce tu homo nō minus literatissimus, quā integerrimus,
vt voto fruamur. Bene valeas. Romæ, decimosexto Ka-
lendas Aprilis. M. CCCCLXXXVIII.

ANGELVS POLITIANVS

Pomponio Lato s. d.

QVAS à te nuper accepi literas, ita gratas habui mi
Pomponi, vt me ab ijs putem immortalitate donatū. Sed
& semenstre Calendarium mire fuit gratum, & quam
ais tabulam bello Marsico factam: quæ si eadem est quā
Romæ obiter legerim, vereor vt satis ex fide sit exscri-
pta. Siquidem Amilius non Aemilius erat in saxo. Quā
eandem diphthongum etiam super ipsa Panthei testudia
ne adnotaueram. Quod verò etiam (si dijs placet) de
obscuris poetarum me consulis, homo omnis literaturæ
consultissimus, atque id mihi ex amore tribuis, quod tibi
ex vero debetur: intelligo quā tibi debeam, quā mihi
faueas, quantum oneris sustineam. Dicam tamen quod
sentio, tibi que si non rem ipsam, studium certè meum, vo-
luntatēque probabo. Versiculi ipsi, quos verè mendo-
sos putas, hi sunt videlicet:

Indigena æterni rupem Iouis. hinc tibi Mauors
Dant virides post terga lacus, vbi deside Mitra
Feta legat, partūque virum fouet ipsa soluto.

Locus Va-
lerij Flac-
ci, lib. 5.

Hos equidem ita legendos arbitror:
Inde Genetæi rupem Iouis, hinc Tibarenūm
Dant virides post terga lacus, vbi deside mitra
Feta ligat, partūque virum fouet ipsa soluto.

Vt sit sensus: post Chalybas promontorium Genetæi Io-
uis, dant post terga, hoc est præternauigant. Tū virides
lacus Tibarenorū: virides, scilicet, quoniam pecore abū-

dant, atque ob id pascuis, quibus scilicet Tibarenis mos est, uti a parturientibus, iamque etiam partu liberatis uxoribus, viri in lecto mitrati collocentur, & ipsi vice puerperarum foueantur, curenturque: quod ex Apollonio mira breuitate translatus, cuius in libro secundo sunt hi versus:

Τὸς δὲ μετ' αὐτὶκ' ἔπατα Γενηταίου Διὸς ἄκρη
Γνάμφαντες, σοβέοντο παρ' ἑξ Τιβαρηνίδα γαῖαν.
Ἐν θ' ἔπει ἤρκε τέκων ὑπ' ἀνδράσι τέκνα γυναικας,
αὐτοὶ μὲν σιναχέουσιν ἐνὶ λεχέεσσιν ἐπιδόντες,
κράατα δισσαμῖνοι, ταὶ δ' αὖ κομαέουσιν ἐδωδῶ.
Ἀνέρας, ἥ δὲ λουτρὰ λεχάϊνα τοῖσι πόνοντι.
Post hos autem quam primum, deinde Genetai Iouis arcem
Flectentes, acti sunt præter Tibarenida terram.
Vbi postquam utique sustulerunt ex viris filios uxores,
Ipsi quidem suspirant, lectis decumbentes,
Capita reuincti: illa autem rursus nutriunt epulis
Viro & lauacra partualia his laboriosè ministrant.

Genetæū
promon-
torium.

Iupiter
ἐνὶ θ'.

Addunt interpretes Apollonij, scriptū id etiam à Nymphodoro in Tifinomis, tum Genetæum promontorium à Genete fluuio vocatum, in quo templum sit hospitalis Iouis, quem Xenion appellant. Idem eodem libro sic scribit Apollonius.

Ἀρχὴ δὲ ναιετάουσι πολύρῃνες Τιβαρηνοὶ
Ζηνὸς ἐν γαίνοιο Γενηταίῃ ὑπὲρ ἄκρη,
Propè verò habitant affluentes agnis Tibarenis
Iouis hospitalis Genetæam super arcem.

Tibarni.
Strobini.
Eribotes.

Quo loco πολύρῃνες ab agnorum copia dicti. Vnde virides lac^o eruditè dixit Valerius, ob pascua, ut arbitror. De Tibarenis etiā Orpheus in Argonauticis post Chalybas meminit statim: & eosdē Strabo lib. xii. Tibarnos appellat. Quod autē de Eribote quæsierat: fuit is filius Teleontis, de quo sic idem scribit Apollonius lib. i.

Εἴπειτο δ' Εὐρυτίωμ τε καὶ ἀλκίης Εὐρυβώτης

Τῆς, ὃ μὲν Τελίοντ' ὃ δ' Ἰρου Ακτορίδαο.

Ἥτοι ὃ μὲν Τελίοντ' ὃ δ' Εὐκλήης Εὐρυβώτης,

Ἰρου δ' Εὐρυτίωμ, σὺν καὶ τρίτ' ὃ ἦεν Οἰλεύς.

Dicebatur autem Eurytionque & robustus Eribotes

Filiū, hic quidem Teleontis, ille verò Iri Actorida.

Nempe hic quidem Teleontis inclutus Eribotes:

Iri autem Eurytion, simul & tertius erat Oileus.

Literas contubernali tuo commendatitias ad Oratorem
Florentinum, paulo negotio impetrabimas à Laurentio
Medice: qui si mihi quasi vni ē minutoribus literatis,
nihil non indulget, cur quidquam tibi literarum principi
deneget? Vale, & si quid te dignum ex antiquitate ha-
bes, participa quæso nobis, tui cupidissimis. Et Vasinio
dic salutem meis verbis Florentiæ, IIII. Kalend. Mart.
M. CCC CCLXXXVIII.

POMPONIVS LAETVS

Angelo Politiano s. d.

IAM tempus appetit eruditissime, & candidissime
Italorum, vt Lucretij libros remittas, vt vir integer si-
dem soluas. Dabis ferendos ad urbem Petreio homini
fidei summæ, qui celebritatem tui nominis cum ceteris
nostri ordinis amat, colit, veneratur. Nam quisquis est,
qui de se bene senserit, gratulari plurimum debet se-
culo nostro, cum tales habeat viros, quales maiores no-
stri in summa gloria habuisse duxissent. Data opera
Florentiam se confert, vt te sæpius visat, & vt totus
ex lima tua pendeat: vtinam & mihi liceret. Cum de al-
titudine tui ingenij cogito, non possum nō admirari, cur
nostri graculatim & sturnatim (vt ita loquar) ad te non
aduolent. Legi opus tuum, in quo apertissime doctri-
na quadā singulari veteres ab inferis reuocasse videris.
Sed parcius in præsentia, prædicatione mea non indiges.

Gracula-
tim &
sturna-
tim.

B 5

satis

fatis enim tuo labore clarus es. Verum quoties de aliquo sublimi interpretatio est, vnus Politianus occurris. Ego quid de perspicacissimo ingenio tuo sentiam, vna epistola, & longa quidem explicui, quanquam in ea re quid longum esse potest? Credo distulisti carmina Lucretij remittere, propter variarum disciplinarum occupationem. Obsecro, atque obtestor, effice vt ad suum Quirinum redeant. Habeo quaedam vetustissima monumenta, quae cum videris obstupescas admiraberisque, quod nuper effossa, erutaque, & inuenta, in illa tua obseruatione nereperiantur. Qua de re diuinitatem quandam in te esse intelligo, vt vere animus tuus sit de caelo sumtus ignis. Dij te seruent. Commenda me Medicibus, patri, & liberis litterarum patronis. Deinde plurima salute Deme-
trium impertias. Vale. Romae, ante v. Kalendas Iunij.

ANGELVS POLITIANVS

Pomponio suo s: d.

LVCRETIVM Petreio dedi, quem tibi iam redderet. Vah, tam sero, inquis. Fateor: sed non plus negligentia mea, quam tuae humanitatis fiducia, dum alia ex alijs in quibus opera ponatur, occurrunt, dilatus hic in quadriennium liber est, qui vel triduo poterat absolui. Ceterum ego Pomponij mei memor, qui quidem nescit offendi, a Politiano praesertim, praetuli audacter officio commodum. Petreio nondum frui licuit, vt optabam, probo, & antiquis moribus homine. Iam tum peregre aberam, cum ille Florentiam statimque peregrinationem meam rusticatio excepit. Spero tamen diebus paucorum iacturam, vt in urbem reuerterimus inrupta (quod aiunt) copula sarciet. Quas in me laudes confers, quanquam agnoscere salua fronte non ausim, tamen ob id gratissimas habui, quoniam cum nec irrisio in istos mores,

Ad Laetoriam.

mores, nec adulatio cadat, necesse est laudatio hæc aut ex amore in me nimio, aut ex verò proficiatur. Quorum cum sit utrunque mihi gloriosum, alterum diu in votis, alterum etiam supra vota est. Monumenta illa, quæ narras antiquitatis, iamiam tractare, complecti, adorare gestio: per fortunas imperti, si quid habes, quod excelsat. Medices nostri vnicè tibi fauent. Demetrius autem salutem sibi à te dictam totidem verbis remuneratur. **Valle.** In Fesulano, sexto Idus Augusti. M. CCCCXCI.

BAPTISTA GVARINVS IOANNI

Pico Mirandulæ s. d.

NONDUM concedo secundum te litem dari oportere: nam facile possum tuas istas captiones in te ^{avtisi-} Retor-
quare. ~~φαι.~~ Si tibi præceptor sum, cur mihi non obsequeris? Si non sum, cur me præceptorem, appellas? Neque ideo nomen hoc recuso, quòd te discipulum spernam, quem mihi præceptorem assero, sed quòd tuam doctrinam & veneror, & prædico, in qua te neque vnguium meorum nota, neque transversi calami signo, neque miniata cerula, neque obelisco denique, aut asterisco, tantum promouisse mihi conscius sum. Sed in nouum quoddam vindictarum genus (vt video) incidimus, dum tu mihi eam possessionem asserere contendis, qua ego cedere conor. Quæ vnquã Rhetorum caussa huius generis actorem, aut reum habuit? Ego, mi Pice, nunquam in hac pugna tibi herbam porrigam, nisi prius bona cum gratia composuerimus (vt quando aliter non succumbis) vterque nostrum alteri præceptor pariter, & discipulus iudicetur. Sed omisissis iocis seria agamus et Heptalus tua, et tuipse tibi meritò placere potes, cum omnia doctorum hominum puncta ita sis affecutus, vt ne in tabellæ quidẽ latebra liuor ullus appareat. Idẽ in reliquis scriptis facilius tibi datũ

iri

Vfus in
scribendo
magister.

iri sperandum est, cum vsus etiam accesserit, qui solet in scribēdo magister haberi optimus. Quod ad me attinet, gaudeo vehemēter laudato viro, et ab omnibus, ac vbiq; laudādo Laurentio me in ore esse, addito præsertim Politiani calculo: cuius ego copiosam, et arcanam multiplicis disciplinæ lectionem ita complector, vt admirer: ita admiror, vt commendare non desinam. Quo fit vt extra doctrinæ aleam me ab illo poni, triumphi instar existinem. Quod librorum meorum indicem petis, id mihi et laboriosum est, et inutile. Satis erit, si pro tempore postulatis meis inseruiēs. Nunc Martianum Capellam, et Senecæ quæstiones naturales opto, si modo emaculati sint codices: Nam qui apud nos sunt, opera Sibyllæ indigent. Eos si impressos emere possim, gratius mihi erit: sin minus, non longo postliminio tui ad te redibunt. Vale specimen bonarum disciplinarum, meque amare perge. Ferrariæ, Non. Decemb. M. CCCCLXXXIX.

ANGELVS POLITIANVS

Baptistæ Guarino suo s. d.

OSTENDIT epistolam mihi nuper ad se tuā Ioannes Picus Mirādula, princeps omni laude cumulatiſſimus: in ea cum tu mihi multū tribueres ex recēti Miscellaneorum fetura, tum verò seorsum in scheda syllabas notasti aliquas, in quibus meā nonnihil diligentiam requirebas. Sed hoc posterius tamē ita cōstanter, ita suspiciōse fecisti, quasi deniq; metuisses, ne me ledi grauius putarē, si cubi abs te non doctissimo solū viro, sed optimo quoq; redarguerer. Ego igitur quanq̃ dissimulare nō possum, laudationē mihi tuā fuisse pro eo ac debuit omnino gratissimā, tamen vt eā quoq; plausibilius exciperem, caussa fuit in primis, quod abunde fidē blāditijs illis tuis comes addita

addita libertas, ne dixerim castigatio faciebat. Etenim non ego auidius refellam, quam refelli me patiar, & opinionum fallacijs, quasi morbis animi præcipuis, multò etiā libentius ipse carcā, q̃ ceteros liberem. Tuū verò mihi omnino quasi pro lapide Lydio, iudicium debet esse. Lapis Lydius. Nam ut illo purum dignoscitur aurū ab adulterino, sic apud me de tua facile sentētia verum videtur posse, falsumq; discerni. Nec est in quo tam bene de proprijs mihi studijs spondeam, quam quòd ita disputare soleo de ambiguis, ut plus de inuēto vero gaudeam, quam victoria. Quanquā autem abs te tātæ auctoritatis homine provocatio non est, tamen pro tua singulari humanitate quæso benignè audias quid ad ista respōdeam. Ne gas probare te quòd imolare prima breui, quòd item matutinus prioribus correptis syllabis enuntiauerim. Ego verò tanetsi rudis in primis, non adeò tamen obtusi sum pectoris, in versibus maximè faciundis, ut spatia ista, morasq; nō sentiam. Verum cum mihi de Græco penè ad verbum forent antiquissima interpretanda carmina, fateor affectaui equidē, ut in verbis obsoletam vetustatē, sic in mēsurā ipsa, & numero gratā quandā, ut speraui, nouitatem. Nec autem putabam fore, ut cum Virgilius, acerrimi vir iudicij, versus aliquoties Homeri vatis exēplo caudā trahentes effinxerit, nō etiam mihi tale quippiā, præsertim Græca vertenti cōcederetur. Quocirca versiculos feci de industria prominuli quasi ventris, qui mediū pedem quaterna tempora superantē caperent, ex augmento τροχοιλίους appellatos. Ventricofos. Qualis apud Homerū puta sit ille: πατροκλῆς ποθίωρ ἀνδρότατα καὶ μιν ἄνδρ' ἄνδρ'. Patrocli desiderās virilitatē, & robur bonum. Sed quoniam quod ego studio nouitatis quæsiueram, syllabarum scilicet ignorationi plerique tribuebant, mādauī statim quibus maximè potui amicis, ad quos vlla modò

modò exemplaria peruenissent, vt versiculos eos velut in quadram redigerent, ad hoc exemplum: Luceferi, nā lux superis gratissima diuis. Et item: O puera, emicuit rubor haud mora matutina. Quemrosa, &c. Cuius enim stultitiæ, vel cui⁹ potius improbitatis fuisset agere diutius, etiam bonam fabulam, quā continuò populus exsibilaret? itaque magnopere à te peto, cures mihi primò quoque tempore non ausim dicere tua, sed scholastici alicuius manu locum sic vtrunq; in omnibus quotquot istic erunt exemplaribus emendandum. Nam vt tibi pote-

Liquere stas venalium quoq; fiat, ipsi continuò per literas caue-
 prima bre bimus. Iam verò quòd liquentibus prima correpta dici
 ui. vix permittis, equidem in eo Virgilium sequebar, cuius illa certè sunt notissima: Principio celum, ac terras, cāposq; liquentes. & Ignemq; horribibilemq; feram, fluuiumq; liquetem. Nec me fallunt autem, liquentia mella, sic apud eundem posita, vt quantum scilicet in tempore, tantum sit in intellectu discriminis. Sed & orichalcum breui secunda dictum reprehendis, quæ tamen syllaba diphthongo notatur. Ad hæc illo ipso quem tum locum interpretabar, δὲ ἴς ὄρι χαλκόν dixerat Callimachus, vnus mihi tum quidē præ ceteris sequendus, quanquā aliās quoque grauißimus auctor. Nam quod Statius aliter vsurpat iure suo, videlicet vna diphthongum litera defraudat, quod & in Pliadum vocabulo non reformidat. Postremò quæris idem, vt cur & Bæotia scribam: sed enim querere ego quoque vicissim poteram, cur tu Boëtia potius, nullo scilicet in has vocales Græcorum transitu, quem modo vel præcepta tradiderint, vel rationes persuaferint, vel auctoritas comprobauerit: nisi forte vulgus imperitum respicimus, nullo prorsus habendum numero apud eruditos, quorum te principem
 sem

semper existimauimus. Adde quòd hanc nostram vocis istius scripturam, sicut è Græco primum demigrauit, in-
 temeratam seruant exemplaria quæcunque adhuc in-
 corruptæ vetustatis indole censentur. Hæc igitur ha-
 bui nunc quidem, quæ pro mea caussa dicerem. Verum
 quando tu vnus omnium ætatis nostræ professorum ce-
 leberrimus aliter sentis, nihil iam credo mihi, sed ad
 Pyrrhonios planè deficio: nec esse prorsus aut affirmo
 posthac, aut nego quidquam, sicuti nobis vel à sensi-
 bus ipsis, vel ab animo denique representatur. Cupio
 tamen & de ceteris quid sentias audire, tantò maio-
 rem tibi habiturus quotidie gratiam, quantò ab erro-
 ribus me, vel sæpius, vel liberius, vel postremò etiam
 seuerius vindicaueris. Vale.

Pyrrho-
 nij qui, vi
 de apud
 Aul. Gel.
 li. II. ca. 50.

BAPTISTA GVARINVS

Angelo Politiano suo s. d.

GAVDEO mirificè interprete Pico nostro Palla-
 dio, magis, quàm Martio, datam esse nobis occasiun-
 culam vt de communibus studijs aliquid per literas col-
 loquamur. Sic enim fore spero, vt amor in doctrinam
 tuam meus amicitiam inter nos conslet. Quod autem ita
 cunctanter, & meticolosè ad Picum ipsum nonnulla de
 aureolo Miscellaneorum tuorum libro scripsi, id neu-
 tiquam mirari debes: ita sunt horum temporum mores,
 vt si quis liberius quid proferat, bellicum cecimisse vi-
 deatur. In me Angele mi suauissime, vt nullus est loligi-
 nis succus, ita est candida, & sine labe simplicitas. Do-
 ctos omnes amo, colòq; & nouos nescio quomodo ma-
 gis etiam, quàm veteres admiror. Quippe cum hoc tem-
 pore & librorũ iactura, & morum aliquorum ignora-
 tio, & multarum rerũ desuetudo anxiam, laboriosamq;
 pariat emergendi difficultatē: quare ignoscas mihi, si ex
 alijs

alijs animum spectavi tuum. Quia tamen te maximè diligebam, vt hominē eruditissimum, cupiebāque sine exceptione ab omnibus posse laudari, ideo quæ sentiebam à liuidulis fortasse notatum iri, ea tibi clādestina aliqua via nota fieri desideravi. Delectatus sum vehementer tua ista probitate, qua neque tulisti egrè te commoneri, & rogasti, vt de ceteris idem facerem: quia eis te gratiam habere profitearis, qui ab erroribus te vindicauerint. Non ego tantū mihi arrogo, vt quod tu ignoraueris, ego id me scire credam. Sed scribētibus omnibus id vsu venire solet, vt in scriptis suis (dū noua sunt) relegēdis, vel obaudiant, vel conuiueant, vt taceam opiniones nonnullas, quarum inuentionibus applaudunt. Quod nī ita esset, non in praeceptis haberemus. Nonumq; prematur in annum. Si quid autem à me bene dictum videatur, Terentianum illud, non tamen assentatoriè respondebo: Ridiculum, nō enim cogitaras. Ceterū idem isthuc tu te melius quanto inuenisses? Vt aliquando ad rem veniā, dabo operam, vt qui residui sunt apud mercatorem libri tui, non nisi ex tua sententia exeant. Ego sumtu meo habueram librum ipsum apud me hospitem: posteaquā tamen etiam gratis alterum fratrem in contubernio esse voluisti, vsus sum tua liberalitate, vt ego munificus esse possim, & vt tibi plus debeam. Leonicensio & Pictorio munus tuū tradā, cum abs te responsū accepero. Magnificis Laurentio, & Pico me commendes, rogo. Vale. Ferrariae, quarto Kalendas Ianuarias, M. CCCC LXXXIX.

ANGELVS POLITIANVS

Baptistae Guarino suo s. d.

BENE habet. Amicos vndiq; Miscellanea nobis aut cōparant, aut excitant. Vndique epistolae ad nos, vel de nobis

nobis excellentiū virorū plenæ studij, plenæ laudū. Vel
proximæ duæ abs te, quā ingenuæ, bone Deus, quā sim-
plices, quā liberales, quātis postremò, et quibus asper-
sa amoris notis: mitto enim quā elegātes, & doctæ. Pro-
priū videlicet hoc eius domus, in qua duntaxat etiā ipsa
bonarum artium sunt incunabula. Quos igitur mihi tan-
ta ista seu iudicia, seu studia vestra admouere aculeos,
imò verò quos ad scribendum subdere stimulos debent?
Iam facili contēno, quas & contemsi tamen semper ine-
ptias maleuolorū, et nugas verè dixerim abortiuas (prius
enim penè emortuæ quā editæ) tuis mihi suffraganti-
bus epistolis, etiā Phœnice viuacioribus. Ego verò ala-
cer iam doctorum clamoribus adiutus ad huius calcem
curriculi propero. Quin (si modò tu non aspernaris) cu-
rabo extet ad posteros in reliquis meis scriptis perpe-
tuum, non dixerim doctrinæ tuæ, quo quidem minus
eges, sed certè beneuoli inter nos animi testimonium.
Vale: Pictoriūque nostrum candidissimum hominem
saluere iube meis, & Pici verbis. Florentiæ, quinto Idus
Ianuar. M. cccclxxxix.

BAPTISTA GVARINVS

Angelo Politiano s. d.

NOLIM existimes maxima esse tuarum laudū præ-
conia, quæ ad te in epistolis perscribuntur. Multò enim
maiora sunt, quæ studiosi humanitatis in animis suis ex
libro tuo taciti concipiunt, aut cum in cœtu sunt, de te
colloquuntur: vno ore omnes omnia bona dicunt, doctri-
nā tuam prædicant, extollunt, admirantur. Nemo est qui
pretio deterreatur, quò minus Miscellanea domi habeat,
vnde discat. Hæc sunt vera eruditionis testimonia, in qui-
bus nulla est placēdi, adulādīue suspicio. Quò magis mi-
ror dubitari à te, an cupiam scriptis tuis famā meam im-
mor-

C

mor

mortalem fieri quasi cornea mihi sit fibra: non id ego quoque expetam, in quod fertur humanæ naturæ proclivitas. Illud tamen monuisse, aut saltem rogasse velim, ut & morsibus viuentium, & laudationibus (nō enim adulationes appellauerim) quāminimē in scribendo utaris. Nam præterquā quod ea res dignitati scribentis officit, multi sunt qui magis affectionibus animi id scribendi genus, quā verō iudicio acceptum referant. Non temere hoc dici putes: audio enim persæpē quæ de reliquis circūferantur, & tamen liberum tibi in hisce rebus examen relinquo, quem etiam plus videre arbitror. Salutem tibi Pictorij nostri verbis dico: tu verō magnificis Laurentio, & Pico me commendabis. Vale. Ferr. XVI. Kal. Ian. M. cccxc.

ANGELI POLITIANI EPISTOLARVM

LIBER SECVNVS

DVS.

ANGELVS POLITIANVS

Philippo Beroaldo suo s. d.

*R. Ad
Laudato
riam.*



EGIT epistolam mihi nuper ad se tuam Picus hic Mirandula noster, planē flos il-
libatus ingeniorum, cuius in extrema clau-
sula nostri quoque sic honorificam men-
tionem faciebas, ut in quodam veluti literatorum con-
fessu proximos videlicet ab illo mihi gradus assignaue-
ris. Hanc igitur ego tuam (si modō ita vocetur) senten-
tiam, quāvis audire citra ruborem, gnarus inscitie mee,
non poteram, tamen quōd ab insigni quadam beneuolen-
tia proficisceretur, ita grātanter accepi, ut vix tantun-
dem